





*8a.*      *3*      *8*  
1707 2486

DECANUS  
FACULTATIS JURIDICÆ  
**CHRISTIANUS THOMASIUS,**

J Ctus, Consiliarius Regius, & Prof. Jur.  
Publ. Ordinar.

*Pramissis monitis,*

*De*

**CURA PRINCIPIS  
EVANGELICI CIRCA SUSTEN-  
TATIONEM MINISTRORUM  
ECCLESIAE,**

*Lecturis*

CLARISSIMUM CANDIDATUM,  
**DN. BERNHARDUM HENRICUM PAGENDARM,**

Hervordia Gvestphalum

*officiose*

*commendat.*





(a) In dispensatione  
aug. 160 16.  
bis. l.

**B**ene fecit Clariss. Candidatus, quod  
(a) in doctrina de justitia secularisationis bonorum  
ecclesiasticorum, questiones justi, & questiones de-  
cori sollicite separaverit, atque articulum de cura  
Principis Evangelici circa sustentationem Ministrorum Ecclesiarum  
peculiares meditationes mereri annotaverit. Est enim utique  
res digna cuilibet bono civi, & christiano praeparatis, & inter  
hos praecepit I Cto, ut non solum doctrina, sed & consilio &  
opera subveniat indigentiae, ne quid gravius dicam, Ministri-  
orum Ecclesiarum, cuius causa ex praeceptis est nimia secularisatio  
bonorum ecclesiasticorum post reformationem. Dum vero  
eum in usum tres vel quatuor autores evolvo, ut ex eorum  
lectione occasio ulteriorum cogitationum intellectui suppedi-  
tetur, eandem confusionem etiam in hoc doctrinæ capite, uti  
in plerisque aliis ad jurisprudentiam ecclesiasticam pertinenti-  
bus, regnare deprehendi, ut quo plura quis legat hic ab aliis  
dicta, eo magis dubius & confusus reddatur ejus animus.  
Modo enim incaute proceditur, saepe etiam sophistice, in forma-  
tione questionis, aut impertinente applicatione argumento-  
rum ad questionem, ei, ad quam revera pertinent, saltem affi-  
nem, si non plane alienam. Plerumque loco rationum & pro-  
bationum afferuntur exempla Principum, autoritates patrum,  
testimonia doctorum, raro extra partes positotum: torquen-  
tur dicta scripture in alienum sensum: si rationes afferuntur,  
vel ex testantur ignorantiam genuinæ doctrinæ de prudentia  
civilis, ac regulis justi & decori, vel si quandoque rationes  
prægnantes addicuntur, tamen aliis pluribus, parum vel ni-  
hil inferentibus sunt involuta, ut eas vix separare & digno-  
scere queat lector, alias probe in doctrinis ejusmodi versa-  
tus. Leges Mosaica forenses, imo & ceremoniales quæ dici  
solent,

( o )

solent, plerumque in hac quæstione utramque faciunt paginam, cum tamen status reipublicæ Israeliticæ, cui immixta erat religio, à statu rerumpublicarum Christianarum infinitis modis differat (quod eruditæ, pro more explicuit Liber Baro de Pufendorff) (b) & iisdem argumentis uti soleant Doctores (b) *De Habitu  
Pontificii ad palliandum avaritiam Cleri sui.* Confunduntur aperte Sacerdotes reipublicæ Israeliticæ cum ministris ecclesiæ, quorum tamen officia, ut mitissime loquar, sunt diversissima. Afféruntur textus ex jure Justinianeo, vel plane non pertinentes ad statum regni Germanici, vel infecti etiam arcanis pseudopoliticis papatus, ut qui jam sub Justiniano robur plusquam virile confectus erat. Nec cum cura debita seliguntur probatio-nes ex ipso jure Pontificio, quod, et si hinc inde contineat granula quædam veræ & piæ doctrinæ, fere totum tamen cum multis absurdorum, & sub specie cerebrinæ æquitatis insidioso imponentium, dogmatum repletum est. Confunduntur quæstiones distinctissimæ, quid licet Principi aut ministris ecclesiæ, quid eos deceat, quid ab iis sine evidenti læsione justitia omitti nequeat. Quodsi in fontes harum confusionum inquiras, satis sensibiliter deprehendes, præcipios esse, neglectum disciplinarum Icto summe necessiarum, sine quibus ipsa juris prudentia, præprimis ecclesiastica illotis, quod ajunt manibus tractatur, & nimium amorem præjudicij autoritatis. Quotus quisque enim est, qui ad has & similes quæstiones eruditæ demonstrandas afferat debitam culturam doctrinæ moralis, juris naturalis, prudentiæ civilis, & historiæ ecclesiasticae, sine quibus tamen friget omnis labor & frustraneus est, qui in enodationem talium quæstionum adhibetur. Et haec tenus obtinuit etiam in Academiis Protestantium mos parum rationalis, ut pro erudito tractatu habitus demum fuerit cento, non ingeniosus, sed absque ingenio & judicio ex centum scriptoribus consarcinatus, lucubrationes vero ingenium testantes, absque talibus centonibus, ut insipidae alto supercilie fuerint contemptæ. Circa consilia in hac quæstione adhibita eadem querela locum inveniunt, Quomodo enim consilium utile exspectes

ab iis, qui rempublicam ignorant, aut quorum intellectus  
ideis rerumpublicarum Platoniarum est tantum non corru-  
ptus. Commune vitium est, defectus reipublica & eccl-  
esia, (qua in republica est) curare velle per remedia contraria,  
per leges & coactio[n]es violentas ac subitaneas. Unde vel  
deridentur, qui talia consilia obtrudunt, vel autoritas principis  
contemtu exponitur, qui talibus consiliis aures praeber.  
Ab aliis vero mala politica habentur pro incurabilibus, si vi-  
deant, ea a plurimis frustra fuisse tentata, cum tamen sape  
haud difficulter emendari possent, si modo, qui emendatio[n]em  
ejusmodi suscipiunt, medicinæ civilis non essent exper-  
tes, aut si serio res suscipieretur. Si enim fatendum, quod  
res est, vitium hoc nostrum est, qui stilo Pontificio Laici di-  
cimur, stilo vero Protestantium, in societate ecclesiastica audi-  
tores sumus, & inter hos præcipue, qui politici vocamur,  
quod frigeat charitas nostra & omnium maxime frigeat erga  
ministros ecclesie. Nec adeo mirum esse debet, quod rusticci  
accusari soleant, quasi sint invidi erga ministros ecclesie  
& eorum immunitates. (e) Si homines urbici, si nobiles,  
si aulici frequentibus exemplis præirent rusticis, una chari-  
tas excitaret alteram. De Augusto narratur, audiente de  
Herodis parricidio, quod dixerit, se malle suem Herodis  
esse, quam filium. Profecto quisquis extra partes positus  
est, & considerat, quam negligenter habeantur a plerisque,  
(absit enim, ut de universis velimus intelligi) ecclesie mini-  
stri, & quanta cura alii de suis, aut canibus, aut  
equis sint solliciti, alii vero impensas parum utiles & volu-  
ptuarias faciant in somites cupiditatum suarum, nescio, quid  
magis esse optaverit, quam minister ecclesie. Certe, si seria non  
deficeret intentio, proficiendi ministris ecclesie de salariis ad  
vitam, non dicam lautiorem, sed statui doctorum haud in-  
dignam sufficientibus, doctrina de officio Principis in hoc  
negotio non difficulter extricari posset, nec deessent cautelex  
emendandi navos circa consilia hactenus observatos, In-  
terim

(e) Carpz. 6.  
Furi spr. Con-  
fess. l. 1, def.  
124, n. 1.

◎ ◎ ◎

terim tamen cura ac prudentia hic utrobique opus erit. Non fert scopus praesentis discursus singula, quae hic observanda videntur, prolixius exponere. Forte tamen non inepte procederet, si initio præmitteretur ex historia ecclesiastica & doctrina politica delineatio summaria artium ditescendi, quibus post donationes magnificas Constantini Magni & successorum abusus est Clerus, quanta incrementa ope horum arcanorum sumserint per singula secula divitiae ecclesiasticae; & ad quantum fastigium eadem pervenerint tempore reformationis. Tum ostendendum foret, quod quidem ad calumnias Pontificiorum scriptorum referri debeat, dum principes evangelicos accusant, acsi non ex studio veritatis, sed ex cupidine acquirendi bona ecclesiastica, reformationem suscepient, interim tamen negari nequeat, mox post reformationem istam cupidinem se insinuasse animis quorundam, atque subsequentibus temporibus in secularisarione bonorum ecclesiasticorum non caute, & ut par erat, prospectum esse sustentationi ministrorum in ecclesiis Lutheranis. Accessisse etiam caritatem rerum vendibilia, eamque indies magis magisque auctam esse, & quotidie augeri, cum tamen salario ministrorum ecclesia illis temporibus quidem sufficientia, nunquam vel raro fuerint aucta, potissimum autem pastorum in pagis, & urbibus parum a pagis differentibus. His ad oculum expositis monstrandum esset, quanta damna inde orta fuerint non solum intuitu ecclesiarum, sed etiam ipsam rempublicam afficiantia. Item examinari deberet, an defectus hic neglectis salariis emendari potuerit per augmenta accidentium, uti appellari consueverunt, & anno potius hæc multiplicatio accidentium gravioribus dannis ansam dederit. Tum de cura principis evangelici circa sustentationem ministrorum ecclesia dicendum foret, adhibitis ex doctrina politica paucis quidem sed solidis & evidenteribus argumentis. Denique aperienda essent consilia. Et in his non solum respiciendum esset ad regulas justi & æqui, sed

& ne surdis narretur fabula, ad id, quod absque sensibili in-  
commodo omnium fieri, & ita non difficulter in actum de-  
duci posset. Sed in generalioribus hic vellem, ut subsiste-  
ret autor, ac speciminis loco saltem consilia quædam suppe-  
ditaret, qua persuaderent, facile & palpabiliter quasi, rem sal-  
tem ita desperatam non esse, ut, si modo serium propositum  
non deficiat, non possint consilia dari effectui. Consilia enim  
specialia non scribi volunt, sed amant, post maturam delibe-  
rationem eorum, ad quos hoc officium pertinet, expediri.  
Verum ista quidem hactenus. Nunc ad rem me accingo,  
cujus gratia discursum hunc præmisi, hoc est, ad commen-  
dationem Clarissimi Candidati *Dn. Bernhardi Henrici Pagendarm*. Natus is est *Herfordiae Westphalorum* mense Octobr.  
A. O. R. 1683. patre *Iusto Bernardo Pagendarm* negotiatore  
urbis patriæ inter primarios, matre *Anna Catharina Furstenovia*,  
*Viri spectatissimi, Bernhardi Furstenovii*, judicij provincialis,  
quod *Herfordiae* est, quondam Assessoris, filia, & *Hermannii*  
*Furstenovii*, Consulii ibidem, nepte. Ab his parentibus pieta-  
tis & liberalium artium rudimentis imbuendus traditus est  
fidei optimorum in celebri schola patriæ præceptorum *M.*  
*Thoma Mulleri, Henrici Foppit, Engelberti a Laer, & Arnoldi Fo-*  
*ckerodi*, quorum omnium, præprimis autem laudati *Mulleri*,  
Rectoris Gymnasii, & Affinis sui, fidelitatem & benevolentiam  
grata memoria adhuc veneratur. Duobus in Lyceo pa-  
trio lustris exactis Gymnasium Lubencense accesit, ibique  
ducibus *Svantevio, Goldelio & Lipenio* studia bonarum litera-  
rum ulterius est prosecutus, & horum sub auspiciis adultior  
paulo factus anno hujus seculi tertio ad illustrem Academi-  
am Salanam se contulit, & ibi præprimis operam dedit, ne-  
illatis, quod ajunt, manibus tractaret sacra Themidos, & ne  
infalutata philosophia irrumpere auderet in arcana Juris-  
prudentiæ. Quare diligenter auscultavit *Clariss. Job. Jac. Mul-*  
*lerum Profess. Phil. Pract. universæ philosophiæ cursum in*  
scholis privatis solide explicantem. Tum principia juris ex  
doctri-

( o )

doctrina Virorum Consultissimorum *Floerkenii & Hertelii* hau-  
sit, magno cum applausu privatim in prælaudata Academia  
jura tum docentium, atque partim Institutiones Justianeas,  
partim Jurisprudentiam elementarem Struvianam explicanti-  
um. Atque sic ad altiora præparatus tempus esse putavit, ut  
& ad sublimiora pandectarum atque constitutionum Impe-  
rialium jura accederet, & cum *Academie salane Papinianus, Vir*  
*illustris CHRISTIANUS WILDVOGELIUS* ad ductum compen-  
dii Lauterbachiani Jurisprudentia nucleum auditoribus pri-  
vatis doctissime traderet, &, quomodo in succum & sanguinem  
esset vertendus, ostenderet, hanc occasionem avide-  
arripuit, ac ea felicitate gavissus est, ut in numerum audito-  
rum receptus uberes hujus collegii fructus sentiret. Sed &  
multum se debere profitetur Excellentissimo *Brücknero, JCto*  
& Professori juris celeberrimo, quem non solum Brunneman-  
nianam Wefenbecii Paratitlorum repetitionem, sed & Kulpi-  
sii collegium Grotianum eruditis discursibus illustrantem au-  
ditiv. Tandem Musis Jenensibus valedicturus specimen  
eruditionis suæ, habita sub præsidio *D. F. G. Struvii* disputa-  
tione publica de herede defunctum non representante, edidit, &  
ad almam Fridericianam se contulit. Hic vero nobis non  
solum diligentiam suam, sed & mortum modestiam variis ar-  
gumentis & exemplis probavit. *Illustrem STRYKIJUM, Virum*  
*sui nominis, & jCrorum ac Antecessorum protestantium seniorem,*  
publice jus Canonicum & Auream Bullam, privatim vero Ju-  
risprudentiam Struvianam prælegentem, *Magnificum Bodinum* ad  
constitutiones criminales Carolinas commentantem, *Excell. J. S.*  
*Strykijum Lauterbachium explicantem, sedula attentione ve-*  
*nératus est. Cæterum tempestive expendens, JCtum ex so-*  
*la juris Justiniane notitia haud perfici, sed plura ad augu-*  
*stum JCti nomen acquirendum requiri operam dedit, ut &*  
*alias partes jurisprudentia non negligereret. Quare Virorum*  
*Consultissimorum ac Professorum celebrium, *Gundlingii* lectio-*  
*nibus ad *Illustris Cocceji* juris publici prudentiam, *J. H. Böb-*  
*meri**

( o )

meri collegio Feudali, & J. F. Ludovici manuductioni ad praxin forensem magno cum fructu interfuit, quin & nostraras lectio-  
nes publicas, quibus partim historiam juris Canonici tradi-  
dimus, partim specimen jurisprudentiaz judicialis in exem-  
plis, de variis gentium negotiis, dedimus, frequentavit, & his  
absolutis apud facultatem nostram admissionem ad examina  
consueta consveto more petiit. Postquam vero petita obti-  
nuist, ita se utrobique exhibuit, ut dignum eum haberet ordo  
noster, qui & ad examen publicum admitteretur. Sunt ve-  
ro instar examinum publicorum disputationes, qua inaugura-  
les vocantur, cum examina non solum questionibus & re-  
sponsionibus sed & propositione & resolutione dubiorum con-  
stent. Et elegit noster thema non vulgare, sed adhuc inter  
JCTos etiam celeberrimos controversum de natura bonorum se-  
culariorum, de quo die crastino publice cum adversariis  
amicis amice differet. Cui actui ut non solum interfint, qui-  
cunque doctrinæ juris & virtuti patrocinantur, sed & ut iidem  
Candidato nostro ob utramque haetenus commendato,  
faveant, decenter invitamus atque obtestamur. Dab, in

Acad. Frideric, d. 27. Junii 1707.



Halle (S), Diss., 1707 Str - T

ULB Halle  
005 360 765

3





**Farbkarte #13**



Pr. 21. num. 27. *21.* 1707 25a 8  
DISSESSATIO INAUGURALIS JURIDICA,

**DECANUS  
FACULTATIS JURIDICÆ  
CHRISTIANUS THOMASIUS,  
J Ctus, Consiliarius Regius, & Prof. Jur.  
Publ. Ordinar.**

*Pramissis monitis,  
De  
CURA PRINCIPIS  
EVANGELICI CIRCA SUSTEN-  
TATIONEM MINISTRORUM  
ECCLESIAE,  
Lecturis*

*CLARISSIMUM CANDIDATUM,  
DN. BERNHARDUM HENRICUM PAGENDARM,  
Hervordia Vestphalum  
officiose  
commendat.*